…reas

…Anna

Lubransciani Coll. Studiosor: Talasio
in solennem et auspicatissimum
nuptiarum diem.

TALASIO

In ſolennem & auſpicatiſsimum nuptiarum diem

ILLVSTRIS & MAGNIFICI DOMINI,

D. ANDREÆ DE BNIN OPALINSKI,

cum Illuſtri & Mag. Virgine

ANNA MIELZINSKA,

ILLVSTRIS & MAGNIFICI DOMINI,

D. LVCAE MIELZINSKY

Caſtellani Gneznenſis Filia.


A Studioſis adoleſcentibus Collegii Lubr:

Hyacintho Rozrazevvski. Stanislao & Wladislao Grudzinſcijs. Stanislao Niegolevvsky. Ioanne & Matthia Smogulecijs. Joanne Miaskovvsky. Suentoslao Galczinsky.

Concinnata.


ANNO M. DC. XXIII. XI. Cal. Febr.

Poſnaniæ, In Officina Ioannis Roſſowski.



ILLVSTRI ET MAGNIFICO DOMINO, D. ANDREAE DE BNIN OPALINSKY

STANISLAVS NIEGOLEWSKY cum suis commilitonibus S. P. P.



ÆTIS omnium applausibus Illustris & Magnifice Domine, quibus tibi plurimi heroici sanguinis homines, omnia fausta, in hac auspicatissimarum nuptiarum solennitate gratulantur; nostras etiam quamuis tenues, & bidui ferè spatio conditas acclamationes adiungimus. Officii enim nostri esse arbitramur, nullam occasionem quæ nobis viam ad bene de Nobilissima familia Vestra merendum, siue priuatim, siue publice aperit, prætermittere. Tanta quippe est Vestrorum erga Collegium nostrum beneficiorum magnitudo, vt nunquam satis digna verborum prædicatione a nobis celebrari queat. Illustrissimus & Reuerendissimus Dominus Dn. ANDREAS DE BNIN OPALINSKI *Episcopus Posnaniensis, singulari fauore & patrocinio, studia nostra quantum in illo est promouet. Illustrissimus & Magnificus Dominus. D.*PETRVS DE BNIN OPALINSKI *Palatinus Posnaniensis, tanta locum illum beneuolentia prosequitur, vt*

scholam

scholam etiam nouam propter generosam tenuioris ætatis iuuentutem erudiendam excitaret, pignoraq; sua carissima, cætui nostro (quod pro maximo nobis ornamento reputamus) adiungenda esse censeret. Omnes insuper quicunque olim Collegium nostrum auxerunt & dotauerunt, adamantino quodam consanguinitatis nexu Illustrissimæ familiæ Vestræ adstricti fuerant. Nam Illustrissimus olim & Reuerendissimus, gloriosissimæ recordationis IOANNES LVBRANSKI *Episcopus Posnaniensis, a primis fundamentis illud erexit.* Illris. *deinde atq; Admod.* Rndus. D. IOANNES ROZRAZEWSKI, *temporum quadam iniquitate collapsum restaurauit, quorum vterque proxima affinitate, inclytæ domui Vestræ iunctus erat. De Tua vero Illusris ac Magnifice Domine, erga nos Collegiumque nostrum beneuolentia, dubitare qui possumus? quandoquidem eius lateri semper adhæsisti, cuius singulari fauore atque patrocinio, mirifice studia nostra recreantur. Pollicetur hoc nobis generis in quo natus es celsitudo, pollicetur alta quædam & heroica indoles, ad omnem humanitatem a natura propensa, pollicetur denique eximius literarum amor, quibus in exteris nationibus animum tuum studiosissime excoluisti. Quare, iam serena fronte officiosissimam hanc animorum nostrorum erga Te testificationem accipe, & Collegium nostrum fauore tuo promouere perge.*

ODE MONOCOLOS.

TITAN, ſtelliferos qui irradias polos,
Ex alto ſpeculans regna potentia,
Dum currum croceis ſolicitas equis
Adſis; & thalamos deſuper aſpice.
Illuſtris generis lumine proſpero,
Adſis tu pariter de Rhodopes iugis
Audax ire vias irremeabiles
Orpheu; qui genitus Calliope Dea,
Mellitis poteras flectere cantibus
Immites animas, Threijciam chelym
Pulſando, Eurydicen dum repetis tuam
Adſis; ſi pia, ſi ſanctaque poſtulo,
Vt coniugibus his vota fauentia
Concedant ſuperi, & maxima munera.
Illuſtrem iuuenem laudibus efferas,
Cui Fortuna lubens ſe famulam dedit,
Conſtanti ſocians fœdere Coniugem,
Cui Phœbus roſeo tempora vinculo
Præcinxit, recinens pectine eburneo.
Huic Nymphæ comites, carmina concinant,
In multosq; dies Numina proſperent:
Creſcat Sauromatis hoc decus inclytum
Et longè ſuperet Neſtoreos ſenes.
Qui cum Purpureo conſiſtit in choro,
Vultu candidior præêminet omnibus.

Huic iam non animum ſors quatiat mala,
Nec curas pariant ſoliciti dies,
Sed fortuna ferat proſpera tempora.
Illuſtris genere & ſanguine BNINIO
Heros, conſpicuo Stemmate fulgide
Euincas vtinam iura feræ ſtygis
Parcarumq; colos, ſæuaq; ſtamina.
Et poſtquam fueris auctus honoribus
Sis patrocinio Lubranii memor.

MATTHIAS SMOGVLECKI.



ADAMAS SPONSO.

DVM tua Naturæ prælustria munera penso,
Nominis & trutino mystica dona tui.
Esse virum cerno. quoniam de voce Pelasgâ
Andream dicit lingua Latina Virum.
Clarus es atq; potens, Adamantem suscipe munus:
Vt patriæ columen sis Adamasq́; tuæ.
Te metuant hostes, te vis truculenta Gradiui;
Quæ nostræ patriæ sæua pericla parat.
Viue diu felix, vegetato robore fultus,
Nec vires minuant tempora longa tuas.
Hæc tibi Lubranidûm feruentia vota precantur:
Atq; suas vires vt tueare rogant.

IOANNES MIASKOWSKI.



IASPIS SPONSÆ.

SVME ſerenato rutilantem Iaſpida vultu.
Nam veluti rutilans Iaſpis & ipſa nites.
Perſimiles eſtis ſunt talia munera Vobis:
Qualis in Eliſijs gratia vernat agris.
Iaſpidibus gratum tribuit natura virorem:
In te virtutum gloria magna viret.
Splendor ineſt illis, & gratia magna lapillis:
Gratia ſplendori maxima iuncta tuo eſt.
Hac vel Dictynnæ poſsis certare Dianæ;
Cyprigenam valeas æqui parare Deam.
Sed quòd te deocret radians ſuper omnia virtus,
Iaſpidibus cunctis clarior vna imcas. [micas.]

SVETOSLAVS GALCZINSKI.

Gnosi D. Jacobi de Gałęzino Gałczinsky, Haeredis in Eulew Lasrownicza et Patruelis, et in Karssewo Haered. obijt peste.



LÆTITIA.

HInc, vbi ſemper habent viridantia gramina campi,
Semper adeſt felix vernantum copia florum;
Et volucres ſemper modulamina dulcia pangunt,
Flumina lactis eunt, deſpumant nectare ripæ,
Ex campis, quos Eliſios dixère parentes,
LÆTITIA aduenio, donis cumulata Monarchæ
Siderei, ſedes iſthic fixura perennes,
Ite procul curæ triſtes, procul ite cupreſsi,
Ite catenatæ Cocytia monſtra querelæ,
Non locus hic ſtrigibus, non hæc penetralia curis.
Impius extremas bubo commigret in oras.
Vos fauſtæ volucres, vos pignora cara venite:
Quorum dulciloquis recreantur cantibus auræ,
Nuncia veris ades, cantu pergrata Tonanti,
Quæ vigiles campis ſueſti recreare colonos,
Blandiloquis, Philomela veni, celebrata Camænis.
Quæ veniente die, quæ decedente perennes:
Ingeminas cantus potis & Marpeſia ſaxa
Et rigidas cantu rupes hilarare ſuaui.
Tu quoq; Sturne loquax, aulis pergrate Potentûm
Tu quoq; Puniceo notiſsime Pſittace in ortu,
Et quæcunq; ſolent animos mulcere volantes.
Huc Citharę mecum veniunt, hîc blanda ſonabunt
Barbita, Threiicio pulſantia pectine chordas,
Hic placidas ſedes florentia gaudia figent,
Hic erit Aſtrigenæ felix recreatio pacis,

 Me du-

Me duce concentus, duce me resonantia surgent
Carmina, cælicolas ipsos quæ flectere possent,
Hæc mihi sidereâ demissa est arce facultas;
Me comitem Sponsis voluit suprema potestas,
Semper adesse istis, semper dispellere longè
Putrificas læto illorum de pectore curas.
Hoc erit officium Sponsos imitarier omni
Tempore, quo gressum & vestigia cunq; mouebunt.
Siue per herbigeros fuerit mens tendere colles:
Siue per edentes viridantia gramina campos;
Hos ego, perq; vias, & per viridantia prata
Prosequar, & placido gressu comitabor euntes,
Qualis ad Eurotæ plaudit recreatio fluctus;
Quando choros ripis ducit pharetrata Diana,
Talis Opaliniam comitabitur vndiq; Sponsam.
Quales Martigenûm plausus viguêre per orbem;
Annibalis quando refregit Scipio fastum:
Assimilis Sponsum per tempora cuncta sequetur.
Hoc iubeant Superi, velit hoc Moderator Olympi,
Istis lætitiam semper florescere Sponsis.

IOANNES SMOGVLECKI.



CON-


CONCORDIA.

A Superis venio genitrix CONCORDIA rerum,
Quam Deus æterno complectier omnia nexu
Præcepit, clauesq; dedit portare salutis.
Nil sine me vegetum, marcescunt omnia, quæ me
Despiciunt, quibus est turpis discordia cordi.
Ast ego quos tueor? qui me seruantq; fouentq;,
Illis Nestoream tribuo per tempora vitam;
Per me Regna manent, per me sua sceptra Monarchæ
Conseruant, lateq; suos fulcimine nostro
Producunt fines, & iugera lata propagant.
Vos ego nunc celso generati sanguine Sponsi,
Visito, vobiscum mens est per tempora vitam
Degere, vobiscum longissima fata videre.
Nam quid restat adhuc, quod non habeatis abunde?
Quod vobis desit, quod vos attollere possit?
Alter bicipiti potis est à numine Nauem
Iactare, Ausonias fuerat quâ aduectus in oras,
Altera per veterem Lechicâ Regione Nouinam,
Quam non præsentis generatio protulit æui.
Sed cum Principio, Lechiæ longinqua tulerunt
Secula, pro meritis, & pro rumoribus illis,
Optatam patriæ, qui vulgauêre salutem.
Quod si Naturæ dotes quæruntur in ortu,
Et natura parens, pleno vos vbere pauit.
Est decus ambrosium, species gratissima, vultus

Auroræ ſimilis, complexio tota vireſcens.
Vndiq; ſplendor adeſt; veluti cum Iupiter Orbem
Nubibus extersum, rutilanti luce ſerenat:
Phæbus & auricomos roſeo ſplendore iugales,
Per niuei ductat ſinuoſa volumina cæli.
Hæc ego tàm vobis ſublimia munera Sponſi
Gratulor, & ductis imo de pectore votis,
Apprecor, vt cunctos maneant illæſa per annos.
Viuite felices, pleno ſe gaudia vobis
Gurgite profundant; & proſpera cuncta ſequantur.
Senſibus in veſtris ſtabilis Concordia regnet,
Et recreet mentes, vincliſque tenacibus arctet.
Eſte pares, & ob hoc concordes viuite. Nam vos
Et decor, & generis ſplendor ſociauit, & ætas.
Sic vos immenſi proſpectans Conditor orbis
Muneribus largis longum cumulabit in æuum.
Et quæ naſcetur veſtro de germine proles;
Vt veſtri ſemper dignè tenuêre parentes:
Alta Senatorum Subſellia læta tenebit.

HYACINTHVS ROZRAZEWSKI.

Haeres in Nowemiasto



PROSPE-

PROSPERITAS.

PROSPERITAS etiam superûm non segnis ab oris,
Ad vos descendo, rebus stipata secundis.
Me comitantur opes, me pleno copia cornu,
Floribus insternens terras, & lilia spargens.
Vos ô illustri generati sanguine Sponsi,
Quos æternus amor constanti fœdere nectit,
Vos prima aspiciens sincero corde saluto.
Vobiscum æternos vitam ductura per annos.
Viuite felices, redeant Saturnia vobis
Secula, pacifico cingentia tempora serto.
Ipsa Ceres vestris felicia semina campis
Promoueat; sparsas augens fætissima fruges.
Purpureum quoties niuibus feruore solutis
Ver aderit, læto suspectans omnia vultu:
Collibus in vestris Ennea virago capillos
Explicet, & viridi præcingat gramine sulcos;
Gramine quod plenas denunciet affore fruges.
At flos versicolor, ramis pomaria pingat.
Nec minùs interea fœtu pecus omne grauescat.
Mille greges teneras liceat spectare per herbas;
Quos cum vere nouo partus producet agrestis.
Mille virescentes spectentur aratra per agros,
Quæ patulas vertant hilari pro messe nouales.
At cum flammiuomos rapidus, per cornua Tauri
Flectet equos Titan quando per feruidus arua.

 Sirius

Sirius exuret, totisq; incendia terris
Promouet, alma Ceres plenis flauescat aristis.
Vt densos sternat falx insinuata maniplôs.
Atq; nouâ segetum tellus sub strage gemiscat.
Omnia proueniant, quæ vel maturior æstas;
Autumnus vel quæ supremo parturit anno
Pampinus ingentes frondosâ vite racemos
Vestiat, & graco circum velamine cingat.
Deniq; ne gelidi moueant incommoda venti:
Quando tristis hyems Aquilonibus asperat auras;
Et niueis Iuno consternit gramina plumis.
Ipsa ego adversas longè, lateq; procellas
Arcebo: procul hinc ventos; procul inde repellens.
Sola mihi inueniet ianuas Fortuna patentes;
Quæ mecum pariter faustissima quæq; propaget.
Quæ recreet mentes, cunctos quæ prosperet actus,
Quæ cumulet vestris non segniter omnia votis,
Omnia quæ vestros valeant decorare Penates.
Et qui nascentur vestro de germine natos.

STANISLAVS GRVDZINSKI.



INCO-

INCOLVMITAS.

INcolumes hominum ſoleo quæ reddere ſenſus,
Diua ſalutiferi genitrix vocitata vigoris,
Aduenio, leges vitæ, quæ & fœdera ſeruo.
Ite procul morbi tetrici, procul ite dolores.
Non hic tabificâ natus putredine languor,
Non habet extructam triſtis contagio ſedem.
Nos huc ſtelligeri miſit regnator Olympi:
Omnes vt nobis liceat vegetare per annos
Incolumes Sponſos, illis maioribus ortos,
Qui patriæ optatam nôrant vegetare Salutem:
Siue domi ſparſos diſcordia ſæua tumores
Excijt, inflammans ad mutua vulnera Ciues,
Lethalis morbus, bello violentior ipſo:
Siue cruentiferos mouit Bellona furores,
Armatasq; acies, ſæuiq; incendia Martis;
Ocyus inſtabant natos diſpellere morbos:
Robore, conſilijs, fortunis, viribus, armis.
BNINIA quis neſcit quanto feruore propago,
Hoſtiles turmas tremebundo Marte fugabat?
Quis Petros? quis Matthias? quis longa Dynaſtûm
Agmina pernumeret? quorum virtutibus altis,
Gloria Maioris Lechiæ pertingit Olympum.
Nunquid adhuc vitam Diuino munere ducunt?
Quos trux Maumetes nuper conſpexit in armis:
Nonnè Palatinus Poſneûs, cui vita ſuperſtes

Petrus

Petrvs Opalinski, iustas exarsit in iras?
Threycium postquam persensit in arma Tyrannum,
Ducere feratas rabie ardescente phalanges,
Ipse etiam patriæ magno inflammatus amore;
Ad saga proripuit sese, clypeumq; repentè
Induit, & gladio longè spargente nitorem
Cinctus, in aduersos iuit properantiùs hostes.
Iam si Miełzinio repetas de sanguine cretos,
Immensam videas seriem lucere virorum
Magnanimûm, quorum splendentia facta nepotes
Iurè admirantur. Sed quorsum plura loquamur?
Notior est Lechicas illorum fama per oras:
Quàm nostro vt tenui possit clarescere versu.
Sic clarent equidem, & magno splendore coruscant.
Digni qui Pyliam superent ætate Senectam,
Et nostrum decorent radiata iubaria seclum.
Interea vobis clarissima lumina Sponsi.
Qui tám præclaro de semine ducitis ortum,
Polliceor faustam longæuo tempore vitam.
Alma Salvs, vestris semper florebit in aulis,
Et vegetum tribuet vernans natura vigorem.

Wladislavs Grvdzinski.

ODE